

www.e-rara.ch

Dissertatio de insignibus eorumq. iure

Faesch, Sebastian

Basileae, 1672

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22465>

Caput XIV.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPVT XIV.

Ufus & Effectus insignium Dignitatis. Gentiliorum. Societates distinguere. iisdem armis utentes ejusdem familiae praesumi. Quamvis id interdum fallat. Quod probandum. Nobilitatem generis indicare. Ad virtutem excitare. Jus patronatus. Clientelam demonstrare. Subjectionem & Jurisdictionem arguere. Rerum dominium denotare. Hac praesumptionem non probationem inducunt. De mercis mercatorum aliorumq;. Securitatem praestare.

1. Exposita insignium origine, causis & speciebus variis, acquisitionum modis, rebus & locis, quibus affigi vel appingi possunt & solent, nunc de illorum usu & effectu multiplici dicendum est. Sicut autem non una est insignium species, ita varius illorum est effectus. Sunt enim vel dignitatis vel gentis: illorum praecipuus & principalis finis ususque consistit in dignitatis conciliatione & ordinum Reip. distinctione. Etenim coronam illam, qua solis splendorem aemulantur: sceptrum, quo effraenatae plebis impetum coercent, caeteraque supremae potestatis signa, Regum majestatem multis modis augere, quis non videt? Idcirco Romulus cum jura nascenti Imperio dedisset, sancta demum illa generi hominum agresti fore credit, si seipsum venerabilem insignibus imperii, caeteroque habitu augustiorem fecisset, teste Livio *lib. 1. c. 8.* ut supra monui *cap. 4. n. 1. & seq.* Idem de reliquorum Magistratum insignibus sentiendum, quae iis pro inveterata apud quasque gentes consuetudine non parum auctoritatis & dignitatis addere, imo sanctam & inviolatam quandam venerationem conciliare videmus: quod respicit *l. 1. S. casum. ff. de postulando.* Eadem quoque ut ordines Rerump. distinguerent inventa esse dixi: ex qualitate enim ornamentorum dignoscitur majoritas dignitatum, ut habetur *in c. ut Apostolica. de privil. in 6. & cap. Abbat. eod.* ubi Abbates, qui possunt uti baculo, annulo, mitra, sandaliis & benedictione solenni plus aliis simplicibus honorantur, ut dicit ibi Geminianus. Mar. Freccia *Comment. feud. tis. quis dicatur Dux. n. 42.* Pacian. *lib. 2. de Probat. cap. 26. n. 128.*
2. Decian. *resp. 19. n. 32. & 240. vol. 3.* Gentiliorum insignium usus est gentes, regna, principatus, civitates, societates atque familias demonstrare & inter se distinguere. Regna enim & civita-

civitates certis quibusdam notis quibus agnosci & ab aliis discerni voluerint, antiquissimis etiam temporibus usa fuisse supra commemoravi. Et hodie familiae & agnationes ex armis ac insignibus tanquam propriis cuique signis agnoscuntur. Chassan. *Catal. p. 1. conf. 38. concl. 41. & 51.* Sicut enim identitas cognominis inducit praesumptionem agnationis. *l. cum precum. 9. C. de liber. caus.* (nomina enim reperta sunt ad cognoscendos homines. *l. ad recognoscendos. 10. C. de ingen. manum.*) ita & identitas armorum. Etenim signis his familiaribus nomina exprimebant veteres, qui antiquissimus est insignium modus, ut supra *cap. 8. n. 10.* demonstravi. Inde factum, ut qui in nomen, illi & in arma familiarum successerint: atque ad eod hodie iisdem armis utentes ejusdem quoque familiae, contra verò illis distincti, diversae agnationis esse praesumantur, *arg. d. l. ad recognoscendas. C. de ing. man. Menoch. lib. 6. praesumpt. 15. n. 48. & conf. 816. n. 35. & seqq. Goedd. conf. Marp. 28. in pr. vol. 1. & alii plurimi alleg. ab Höppingo de jure insign. c. 13. n. 52.* Hinc quemadmodum stigma militem. *l. stigmata. 3. C. de Fabric. habitus & cuculla Monachum. c. si judex. 12. de sent. excom. in 6. chlamys militem, purpura Regem, stola sacerdotem, toga advocatum, bricus rusticum ostendit. gl. in l. unic. verbo; fibulis. C. nulli lic. in fren. equestr. Menoch. lib. 3. praesumpt. 64. n. 3. Mascard. de Probat. concl. 264. n. 6. & 7.* ita insignia agnationem originem & familiam arguunt. Chassan. *d. concl. 41. & 55.* Wesenb. post alios Dd. à se alleg. *conf. 13. n. 72. Menoch. conf. 1261. n. 6. Joh. Cephal. conf. 90. n. 17. & 18. vol. 1. Georg. Everh. 1. conf. 51. n. 27. & seq. Knipschildt de fideicom. famil. nobil. c. 13. n. 19. & seqq.* Verum contingit interdum, ut iisdem insignibus utantur, qui invicem agnati non sunt: non tantum inter natione diversos, quod frequentius accidit, sed & ejusdem nationis ac civitatis homines, ut exemplis confirmant Menoch. *conf. 1171. n. 19. & 14. Cacheran. conf. 8. n. 36. Fran. Vivius decis. 324. n. 1. Tessaur. lib. 1. quest. forens. 61. n. 9. Gail. 2. Obs. 149. n. 1. Rosenthal. de feud. cap. 2. concl. 27. in fin. Casp. Klock. conf. 17. n. 73. tom. 2.* Ideoque nomen & arma gentilitia sola domum & agnationem non probant: sed alia insuper accedant necesse est, ut infra dicam. *Ex ipsis rebus probationes sumere oportet: nam sola nominis similitudo ad confirmandam cujuscunque originem*

30

satis non est. l. fin. §. item rescripserunt. ff. ad Municip. Et contra insignibus distincti esse possunt alii, quibus tamen eadem familia eademque sit generis origo, præsertim si è longinquo agnationes repetere velimus, quod plerunque in hujus generis probationibus fieri necessum est: Elapsis namque seculis plures ejusdem familiae Nobiles non modò parte aliquâ armorum, ut supra ostendi *cap. 9. n. 31.* sed & integris armis discretos fuisse reperimus. Circa annum 1270. duos fratres familiae Dockenburgicæ diversa planè arma habuisse, testis est Stumpf. *Chron. Helv. l. 5. c. 19. pr.* Hodie quoque relictis suæ familiae insignibus aliena suscipere & testamento & ab intestato quem induci

4. posse, in præcedentibus ostendi. Quanquam igitur probatio agnationis ab insignibus desumpta sufficiens & necessaria non sit: magnam tamen in dubio de agnatione facere conjecturam, ita ut iisdem vel diversis insignibus utentes, die gleiches oder ungleiches Schildt oder Helms sind / ejusdem vel diversæ familiae esse præsumantur, communis est Dd. opinio. Chassan. Wefenb. Menoch. Gail. Knipschildt aliique *locis alleg.* Unde sequitur nominis & insignium communionem onus probandi in adversarium transferre. Marta Neap. *tom. 4. decis. tit. confinia. cap. 3.* Menoch. *conf. 816. n. 37.* Tusch. *lit. A. concl. 516. n. 18.* Sixtin. *2. conf. Marp. II. n. 49. & seqq.* Gædd. *ib. conf. 28. n. 200. & conf. 32. n. 130.* Levis autem insignium differentia, accessio vel diminutio juri agnationis & familiae nihil præjudicat, ut

5. pluribus docet Chassan. *Catal. p. 1. consid. 38. concl. 49.* Hunc primarium insignium usum, familiae nimirum demonstrationem, alii plures minùs principales sequuntur: qualis est nobilitatem generis ejusque antiquitatem indicare: quâ de re cum disceptatur, sepulcra aliaque vetustatis monumenta fidem facere possunt. Ruland. *de commiss. & commission. part. 2. lib. 3. c. 4. n. 16.* Galeas apertas, quibus plebejis interdictum, hodie nobilitatis indicium esse supra monui, *cap. 9. n. 23.* Et ad generis ostentationem sicut olim imagines, ita hodie majorum insignia Nobilium atria ornant, funera comitantur & monumentis affiguntur, ut *proximo cap.* dictum est. Illud verò ineptum est, quod quidam volunt, ex rebus in scutis familiaribus contentis nobilitatis prærogativam & super alios eminentiam arguere, res animatas inanimatis, quadrupedia volucris,

bus, hæcque iterum piscibus & inter hæc aliam rursus aliæ species præferentes, ut vult Chassan. *d. conf.* 38. *concl.* 80. Cum illustriſſimas & regias familias etiam fruges, flores, vasa & res ejusmodi plures per se ignobiles atque animalibus longè postponendas in armis gestare constet. Aldroand. *Ornithol. lib.* 1. *tit. Usus Aquile in insign.* Econtrariò ignavos quosque ex plebe leonibus, urſis, aquilis, & quibus non animalibus corrupto hoc seculo uti videmus, ut conqueritur Cluver. *lib.* 1. *Germ. ant. cap.* 44. More primævæ insignium institutioni adverso, quæ idèò reperta sunt, ut essent præclarorum facinorum præmia ac indices, eorumque memoriam nunquam perituram ad posteros transmitterent, quæ illi excitati majorum virtutem non solum inspicerent, sed etiam imitarentur: neque verò ignaviâ suâ vitiisque avitam gloriam paterentur obsolescere. Eâdem namque ratione olim Romani majorum imaginibus, in quarum locum insignia nostra successisse dixi *cap.* 6. *n.* 26. & seq. virtutem in posteris excitabant: quam in rem elegantissimus est locus Sallustii in bello Jugurth. *Sapè, inquit, audivi Q. Maximum, P. Scipionem, præterea Civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere, cum majorum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi: scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in se habere, sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quàm virtus eorum famam atque gloriam æquaverit.* Carolus M. strenuorum militum scuta signo aliquo exornare solebat, quo res ab iis fortiter gestæ indicabantur, Er hat allezeit im Schildt einem jeglichen der sich ehrlich gehalten im Krieg/ als ein Zubuß oder sonderlich merckmahl / etwas gegeben / darauß man dessen Mannheit und Udeliche Thaten hat erkennen sollen.&c. Erpold. Vinderbrug. in *Chron. Caroli M. alleg. supra cap.* 7. *n.* 18. Insignia dein in templis suspensa vel picta in dubio juris patronatus non leve indicium esse superiori *cap.* dixi. Sed & purpuratis Patribus Ecclesiæ Romanæ insignia patronorum suorum, id est eorum, quorum ope Cardinalitiam dignitatem adepti sunt, in accepti beneficii memoriam suæ familiæ scuto immiscere solenne est, quò illorum clientelæ se subesse, atque adèò devovisse se profiterentur. Iidem sive Galliæ, sive Hispaniæ, alteriusvé Principis insignia, cujus favorem prosequuntur & dignitatem factionemque tu-

6.

7.

8.

tantur,

tantur, aliquâ plerunque mercede vel beneficio ducti, ad aedes suas suspendere consueverunt. Eandem ob causam Nassavienses Comites & plerique alii illustres vasalli Leonés Palatinos in armis gerunt, velut Seynenses, Solmenses, Wirgensteinenses, Leofsteinenses & similes, non dubium clientelæ Palatinæ argumentum, teste Marq. Frehero *Orig. Palat. part. 1. c. 13.*

9. Ipsæ quoque Civitates & Municipia Principibus subdita horum insignibus utuntur in subjectionis & obedientiæ signum. Bartol. *tr. de insign. & arm. n. 2.* ideoque urbs Imperialis censetur, in cujus portis aut ædificiis publicis insignia Imperii longissimo tempore suspensa fuerunt nemine ea evertente, inquit Gothofr. *innot. ad l. 1. C. ut nemo privat.* Bremenses certè liberam & Imperialem civitatem suam contra Episcopum asserentes eadem inter alia ratione usi sunt, quòd in portis, statuâ Rolandi, curiâ aliisque locis publicis Aquila Imperii à pluribus inde seculis expressa conspiciatur. Author *des Nachtrabs. in Assertionem libertatis Reip. Brem. p. 306.* Etenim insignia in curiis, templis, turribus, portis, muris aliisque locis publicis depicta, incisa vel affixa dominii, jurisdictionis vel superioritatis indicium esse, communis est Dd. opinio. Chassan. *Catal. part. 1. conf. 38. concl. 55.* Wesemb. *consil. 21. n. 68.* Freccia *lib. 2. de author. Baronum. c. 47. n. 2. circa fin.* Choppinus *de legibus Andium lib. 2. p. 2. c. 1. tit. 4. n. 7.* Peregrin. *conf. 75. n. 3. libr. 1.* Knichen. *Encyclop. c. 14. per tot.* Gilman. *part. 1. Symph. tit. 2. vol. 1. n. 22. & 115.* Klock. *conf. 9. n. 30. & conf. 16. n. 3. & seqq. tom. 1.* Hoëping. *de jure Insign. c. 13. n. 103. cum alleg.* Res enim regulariter ad illum pertinet cujus armis notata reperitur. *arg. l. 1. C. ut nemo priv.* Decian. *resp. 19. n. 157. & seqq.* Cacheran. *decis. 40. n. 2. seq. Ant. Sola in comment. ad Constit. Sabaud. tit. de insignis & armis gl. 2. cum signum præsumptivè probet rem signatam esse ejus, cujus est signum. l. quod si neque. 14. S. 1. ff. de peric. & com. rei vend. Gail. 2. obs. 118. n. 5. Sixtin. 2. conf. Marp. II. n. 49. & seqq. & ex signo cognoscatur signatum. l. stigmatum. 3. C. de Fabricens. lib. II. l. pen. S. fin. C. de aqua duct. Zaf. 2. conf. 6. n. 17.* Hocque argumento inter alia usi Duces Brunovicenses Civitatis Brunov. dominium sibi vindicârunt, & nuper armatâ manu obtinuerunt: *Diemeil der Herzogen Wappen mit zweien gelben Leoparden und einem blauen Leuwen an den Thoren / Brin-*

gern / Landwehren und Rathhäusern zu mehrer bezeugung und erkandnuß der Lands-Fürstlichen Hoch- und Obrigkeit gestanden und noch. Braunsch. Histor. Handel. part. 1. cap. 1. in fin. Hinc moeniorum dominium ad illum Principem spectare, cujus nomen & arma in iis depicta cernuntur, respondit Rol. à Valle. *cons.* 84. n. 23. & seq. vol. 2. quem sequuntur Peregrin. Choppin. Wefemb. Knichen. *dictis locis*. Quòd si communis fuerit locus, duorum pluriumvé dominorum insignia erigi in illo possunt. Klock. *cons.* 16. n. 17. & 34. tom. 1. Herodes auream Aquilam templo Hierosolymitano præfixisse viderur, ut signum esset subjectionis & observantiæ erga Imperium Rom. quare Judæi cum illam dejecissent, tanquam rebellionis rei, summam Romanorum iram in se concitârunt, ut testatur Joseph. *lib.* 17. Delentes enim arma Principis in castro aut alibi ad indicandam subjectionem depicta, dicuntur tollere domino subjectionem, & sic per dominum puniri possunt tanquam rebelles, ut dicunt Geminianus & Card. Alexander in *can. quecunque. dist.* 30. Felinus *cap. tertio loco. col. 1. X. de probat.* Chassan. *Catal. p. 1. cons. 38. concl. 15. in fin.* Quinetiam ex nummorum signo loci dominium arguitur. Hier. Cæval. *comm. opin. q. 445. n. 4. & 5.* Gilman. *Symphor. tom. 1. p. 1. tit. 2. n. 23.* ubi Erfordiensem Civitatem Archiepiscopo Moguntino subesse dicitur ex eo, quòd hujus insignia in nummis sigillisque ostendat. Hanc ob causam nec Venetiarum Duci ob supremæ potestatis defectum arma familiæ monetis sigillisque publicis imprimere permittitur. Decian. *resp.* 19. n. 126. vol. 3. Tessaur. *decis.* 270. n. 2. Civitatum verò Imperialium nummi majores Aquilam Imperii, minores plerunque Imperiale pomum alterâ facie expressum habent obsequii argumento, quod Cæsari & Imperio debent. Sed quid si alter civilem jurisdictionem habeat, alter criminalem? illum tantùm insignia muris aliisque locis publicis apponere posse, non etiam hunc dicendum: atque ita in causâ quâdam judicatum fuisse testis est Freccia *de Feud. lib. 2. in 47 authorit. n. 1.* quia illâ præditus universalis dominus loci dicitur: hâc verò exceptis causis criminalibus nequaquam, & ita duntaxat dominus est quoad quid ex speciali privilegio: quoad quid autem dominium habens superioritatem sibi asserere nequit. Castrens. *cons.* 44. n. 5. in fin. vol. 1. Surd. *cons.* 323. n. 38.

10. n. 38. Thom. Michaël. *de Jurisd. concl. 65. lit. d.* Denique res singulæ, quæcunque Principis vel privati armis notatæ reperiuntur, ad eundem jure spectare præsumuntur. Bart. & Bald. in *l. monumentorum. C. de relig. l. 2. §. 2. & ibi Bart. ff. de oper. publ. Chassan. Catal. p. 1. conf. 38. concl. 55. Menoch. lib. 3. præsumpt. 64. n. 7. Tusch. tom. 1. concl. 516. n. 11.* Ex signo enim cognoscitur signatum juxta ea, quæ modò protuli. Unde & illa bonorum descriptio, quæ confiscatio est & incorporatio in patrimonium fisci, inter alia etiam per armorum Principis in parietibus, domibus & possessionibus delinquentium affixionem fieri consuevit, quâ res eas jam ad fiscum pertinere significatur. *arg. l. defensionis. 7. ubi Angel. & Joan. de Plateâ. n. 1. in fin. C. de jure fisci. Chassan. ad Consuet. Burg. Rubr. 2. des confisè. in pr. n. 14. Peregrin. lib. 7. de jure fisci. tit. 3. n. 10.*
11. Verùm enim verò hæc non ita accipienda sunt, quasi ex insignibus solis ubicunque locorum affixis rerum dominium & subjectio arguatur: alia quoque adminicula accedant necesse est, ut firmum inde ad prædicta jura obtinenda argumentum duci queat. *Gilman. tom. 1. Symphor. part. 1. tit. 2. vot. 1. n. 22. & 115. ubi de insignibus Moguntinis in Erfordienſium civitate depictis. Matth. Steph. de Jurisd. lib. 2. part. 1. c. 7. m. 1. n. 470. Knichen. Encyclop. c. 14. n. 9. & 10.* Nam & privatis ædibus atque tabernis arma Principum sæpè honoris causâ apponi constat, quæ civitatis vel alterius cujuscunque juribus nihil derogant. *Illustre Examen illustriſ. Author. über des Rahrts zu Braunschweig furge abfertigung. quest. 31. p. 381. & seq. & appicta vel affixa templis non tam dominii & jurisdictionis quàm patronatus jura important Klock. conf. 9. n. 94. & seq. tom. 1.* Sed & portis, mœnibus, turribus aliisque locis publicis præfixa, munificentiam ejus ad quem arma spectant, haud rarò demonstrant, ut *proximo cap.* dictum est. Quod deficiente omni aliâ probatione statuendum: cum res quælibet per se libera præsumatur. *l. altius. 8. cum l. seq. C. de servit. & aqu.* Etsi enim, ut dixi, ejus esse signatum censeatur, cujus est signum: hæc tamen præsumptio non modò contrariâ probatione, sed & præsumptione fortiori elidi potest. *l. fin. in pr. ff. quod met. caus. l. nuptura. 57. in fin. ff. de jur. dot. l. 24. cum l. seq. §. 1. ff. de Probat. Ant. Faber. in Cod. lib. 4. tit. 3. defn. 2. n. 18.* Fortè enim falsum est signum. *arg. l. 2. C.*

l. 2. C. de reb. alien. non alien. vel quod aliquando meum fuit,
 postea esse desiit & alieni juris factum est retento signo. Faber.
d. lib. 4. tit. 14. defin. 47. per tot. Itaque absurdus esset, qui ho-
 die cum Besoldo *disc. de statu Reip. subalter. cap. 7. n. 8.* insignia
 Imperialia intus & extra Civitates Helveticas ædibus publicis
 & muris adjecta monetisque impressa, superioritatis symbola
 esse argueret, cùm contraria veritas in aperto sit, cui haud du-
 biè infirma cedit præsumptio. *l. ult. ff. quod met. caus. l. 29.*
S. ult. ff. de probat. l. continuis. 137. S. cum ita. 2. in fin. in eo quod
tempore vel facto finitum est, nullus est conjectura locus. ff. de verb.
obl. Quod in insignibus, idem juris in signis seu mercis mer-
catorum aliorumque obtinet: res enim sive merces illorum
esse præsumuntur, quorum signis sunt signatæ. Bald. in auth.
dos data. C. de donat. ant. nupt. Bart. in l. stigmata. 5. C. de fabricensf.
lib. II. Chassan. Catal. glor. mund. part. 1. confid. 38. concl. 35.
Straccha de Mercaturâ. part. 2. n. 71. & seqq. Cacheran. decis. Pe-
demon. 40. Mascard. de Probat. concl. 91. n. 4. & concl. 1053. per
tot. Menoch. 3. præsumpt. 64. n. 6. Gail. 2. obs. 55. n. 10. Christinae.
decis. Belgic. III. n. 2. Joh. Marquard. de Jure Mercat. l. 3. c. 9.
n. 63. si nimirum hunc in finem addita sint: constat enim mer-
catores & artifices peritos atque probatos signa sua mercibus
imprimere, ut ex iis tanquam notâ meliori cognoscantur &
citiùs distrabantur. Dictæ verò conclusionis exempla ponunt
Dd. in ballis, ut loquuntur, & sarcinis mercatorum Decian.
in c. causam matrimonij. n. 3. X. de probat. Petr. de Ubald. tr. de duob.
fratrib. p. II. n. 72. Boët. decis. 105. n. 9. Straccha. d. part. 2. n. 71.
Surd. conf. 61. n. 28. & seq. in Equis & animalibus. Bart. ad d. l.
stigmata. post Castrenf. tr. de Imper. quest. 89. Straccha d. l. n. 73.
in vexillis & insignibus navium. Jason. conf. 170. n. 15. vol. 2.
Soc. conf. 55. viso instrumento lib. 6. Straccha d. l. n. 72. in arbo-
ribus lignis que venditis & signatis. l. quòd sine que. 14. ff. de per. &
com. rei vend. Boër. decis. 105. n. 9. latè Straccha d. part. 2
de Mercat. n. 90. Mascard. de Probat. concl. 1053. n. 13. Verùm sicut
insignia, ita nec merca hæc plenè probant, præsumptionem
tamen inducunt, quæ fortiori præsumptione & contrariâ pro-
batione potest elidi, ut modò de insignibus docui, quod latè &
eleganter deducit Straccha d. tract. de Mercat. par. 2. n. 82. &
seqq. ubi refellit Luc. de Pennâ, qui in d. l. Stigmata, n. 8. merci

12.

13. impositionem, plenam probationem domini inducere contendit, quæ sanè assertio multis fraudibus ansam præberet: illam igitur semiplenam vel majorem facere dicendum est, ex quâ circumspèctus iudex juramentum in supplementum deferret. *ex not. in l. admonendi ff. de jurejur.* ut Straccha demonstrat *loco laud. Mascard. de Probat. concl. 1053. n. 9.* Denique insignia interdum etiam ad securitatem, quam *Salvam guardiam* vulgò vocant, præstandam parantur: per veli enim vel tabulæ Imperatoris, Regis, Principis vel Reip. insignibus titulisve notatæ impositionem arcibus, monasteriis, domibus vel rebus quibuscunque concessam, sanctitatem quandam conciliari, ne violari inter effrenem militum licentiam impunè possint, res est in bellis nota. Eandem ob causam Feciales, Heroldos aliosque Officiales Principum, nuntios etiam & tabelliones, de quibus supra *cap. præc. n. 15.* ab omni violentiâ tutos esse oportet, & inter media arma securos. Forte adhuc alii sunt insignium Effectus & usus, quos pro rerum exigentiâ & hominum ingenio quisque sibi effingere potest. Nobis verò præcipuos enarrâsse sufficiat.

CAPVT XV.

Actiones de insignibus competentes. Bellum an insignium causâ indici possit? Judicium summarium. Interdictum uti Possidetis. Actio præjudicialis. Confessoria. Condictio ex l. diffamari. Condictio ex privilegio. Actio præscriptis verbis. Condictio causâ dati. Injuriarum. Crimen lesæ Majestatis. Falsi. Judicis officium. Insignia quomodo probentur.

Illud adhuc ad plenam insignium tractationem superesse video, ut Judicia, Actiones & Probationes, quibus eorum jura conservantur, recensamus: tandem etiam modos, quibus illa amittuntur, auferuntur vel abolentur, subjungamus. Tametsi ad armorum sæpè judicium provocatum, bella & lites cruentas, non inter Nobiles modò & homines privatos, sed inter ipsos etiam Principes, Reges & populos, de insignibus orra esse legamus, ut supra *cap. II. n. 3.* exemplo Danorum Suecorumque probatum est. Catos quoque & Turogos ob Leonem, regni insignia, quondam decertasse, author est Aventin. *Annal. Bojor. lib. 7. p. m. 543. in fin.* Hinc nata quæstio apud JCtos. *An pro insignibus bellum vel duellum indici possit?* quam discutit Paris de Puteo *tract. de re milit. lib. 6. Quæst. An ratione insigniorum*